

usque ad verba: *tantumque apud eos veritatis* &c. et dein *Libri VI. Capitib. 3. et 4. integris et eleganter et fatis recte descriptis.*

DLXXXV.

U. 861 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 52. f. min. utinam tam emendate, quam eleganter perscriptus, inter picturata frontis ornamenta Insignia regia *Corviniana* referens, dein vero ad *Joh. Fabrum Ep. Vindob.* delatus inscribitur: *Altiuidi De Immortalitate Animae Liber Incipit. Απογοραφον Mediceum*, qualia inter Codices *Corvinianos* non pauca sunt, mox suspicatus consulto Cl. *Bandinii Catalogo T. III. Codd. Lat. col. 254. Plut. LXXXIV. Cod. 24. n. 7.* deprehendi *Πρωτοτυπον*, sed ne illud quidem Sec. XV. vetustius, et in *Libros V.* distributum, quos signare neglexit *Corvini* amanuensis diversa *Tractationis Capita* literis grandibus caeruleis distinguere contentus. Init porro *Tractatio: Quoddam die cum fraterno funere propinquo affluentior fletus incubisset. isque ad vesperum usque protelatus. iam rivulis oculorum fluxu largiori exaustis. sese (sibi?) uehementiorem dolorem ascisset, utrumque solito grauior atque procliuior consocius somnus secutus est. Jamque hinc Portenta. Aduehitur ab una parte uir aspectu uenerabilis tribus elegantibus Juuenibus comitatus, quorum primo altiuidus, secundo quidem conlibitus, tercio nimirum iramalus accedebant uocabula,* ab al-

tera parte adequitat homo medie quidem etatis cum frequenti ac lasciuienti strepitu; circumfunduntur Somniantis lectulo, et, quinam essent, quaerenti respondet Senex: *Ego quidem interioris, alius exterioris hominis uocabulo censeor. Mox Exterior Homo* orationem auspicatur primum a commendatione scientiae suae, dein a laudibus Amicitiae, ubi enumeratis doctis Graecis et Latinis, quos nunquam uidimus, et tamen diligimus, addit: *Num, ut ad nostri temporis uiros fiat orationis recursus, gergelarius, albidus, constantius nostre sunt dilectionis expertes?* Quinam Viri hi docti, aut cuius aevi? Tota deinceps Oratio non ad eximendum Somniantis de Fratris amissione dolorem, sed acrius potius infigendum comparata est. Igitur contra insurgit Senex, five *Interior Homo*, Oratoremque refutat primum ipse, tum: *Age itaque fili altiuide de immortalitate animorum sermonem institue. Paret Altiuidus* duplici disputatione; prima quidem iustum exequitur, resumto dein sermone penitus in *Animae naturam* descendit: *Primum igitur inquit ut opificis quam inquirimus similitudo clarius expressiusque reperiatur in anima, considerandum occurrit, quid in ea inperetur, nec inperet. Deinde quid inperetur et inperet, tercio quid sit quod inperet, nec ab alio inperetur. Atque haec mox Sensuale, Rationale et Intellectuale compellat, et cum Animam ad Opificis, ut dixit, similitudinem exigat, multus est in divina Natu-*

ra explicanda. Ubi peroravit *Altiuidus*, iussu *Senis* de Virtutum Officiis differit *Iramalus*, cumque prior ostenderit, Animam Fratris *Alcidis* non interiisse, hic eam beatitudine frui demonstrat; fuisse enim Fratrem Prudentiae, Fortitudinis et Temperantiae laude clarum. Dabo locum, si quid fortasse lucis ipsi adfundat Opusculo: *Meministi ipse, ni fallor, cum ingratus patrie consul ab iniquo domitiano, cuius nunc consilium delatum est, huius ciuitatis dominium uendicasset. reuersusque infinitis exactionibus imbecillum populum denudasset. impiam ad extremum legem in concionem ueniens promulgasset, cum quanta iniquis consiliis obuiandi constantia, summisque sese ceteris trepidantibus periculis obiciens obstetit, commouensque dein mellistua et facundissima oratione astantium animos, ne iniquitatis sanciretur decretum inualuit. Et mox adlato Critonis gemmas et aurum demergentis exemplo: Ego uero in fratre illud magis ammiror, quod cum prepositus classium, antequam praefecturam cogente optimo romane rei publice consule, cunctisque ciuibus flagitantibus suscepisset, egregio de piratis certamine triumphasset, summa e uestigio cautela, cum patrie rebellassent, requirens iniquum apollonii reperit fuisse consilium. Cumque paucis huius secreti consciis inuentum dissimulans ad patriam repedasset, summos sibi ciuibus triumphos deferentibus sic, ut meministi, respondit: Cessate queso optimi ciues et talia perpetrare*

*dimittite; non enim hic bonos piratarum uictori debetur. In concione postridie perorans circumfusam mellistua eloquentiae dape multitudinem faciauit, obtinuitque ut locuples patronus iustitiae, ut prius sua, quos ex patria depredauerant circa paraclen et chereothen, ex integro recepissent, qui (quum, quanquam?) multorum consensu omnem predam in murorum restorationem destinandam censuerant; dein apollonium probato coniurationis crimine quanta grauitate quanta magnificentia quanta securitate preter plurimorum opinionem in exilium condempnauit. Paulo post haec finem imponit Orationi et Opusculo *Iramalus* his uerbis: ego quoque absolutus sum debito, requiescam; ita, ut tertii *Juuenis* *Conlibiti* nullae partes sint, nisi dicamus, imperfectum esse Codicem, quamvis *Florentinus* *suprac.* eodem modo terminetur. Jam quid de Autore? *Altiuidum* Librarii peperit seu ignorantia, seu temeritas, qui, cum Exemplar ἀδεσποτον nactus fuisset, primum, quod in Textu occurrebat, Nomen proprium Fronti adscripsit. Versatum fuisse in omni veteri, praesertim *Platonica*, *Philosophia*, paene quaeuis pagina loquitur, Christianum tamen; nam fol. 28. de Angelorum ex propicie diuinitatis imperio presidii mortalium uite consulentium loquitur, et fol. 36. exposito Trinitatis mysterio ita concludit: Sicut ergo unum deum simplicemque adoro, sic eundem quoque trinum esse confiteor; Latinum denique produnt fol. 3. p. 2. enumerati*

1317

D O G M A T I C I

1318

rati *Laelius*, uterque *Scipio*, *Cato*, *Tullius*, *Virgilius*, *Seneca*. Cum igitur et Philosophum, et Christianum et Latinum teneamus, quidni mentem pulset *Chalcidius* Interpres et Commentator *Timaei Platonic*, quem ad Seculi IV. initia Literatores reponunt? Plura eum scripisse, quam quidem in *Timaeum*, testis est Codex *Bodlejanus* per modum Dialogi tractans de statu Animae post obitum Platónico more, quem *Gerb. Langbaenius* a *Fabricio Bibl. lat. L. III. c. 7.* excitatus in *Chalcidium* confert, quique fortasse Tractatus noster est, testis item *Franc. Patritius*, qui *novae de Universis Philosophiae* edit. *Veneta 1593. f. in Adpend. de Hermete Trismegisto p. 3.* ultima Ejus ad Filium verba e *Chalcidio* refert, quae utique verba non extant in *Commentario Timaei*; extant vero in Tractatu nostro, quanquam paullo uberius, *fol. 19. Haecenus filii pulsus a patria uixi peregrinus et exul &c.* unde *Patritium* Exemplari *Chalcidii* nomen praeferente usum fuisse oportet; testis denique Codex *Laurentianus* duplex a laudato *Bandinio T. cit. col. 334. et 629.* relatus, in quo habetur eadem *Hermetis* Oratio ad filium tributa *Alcibidio Platónico*, quem *Alcibidum* a Librariis e *Chalcidio* corruptum plus quam probabile videtur. Adde, quod in nostro Codice, dum Interlocutores Autorem somniantem adpellant, *Alcidem* vocant, quod facile quis itidem ad *Chalcidium* reducat. Adde postremum et cogitandi et eloquendi

rationem in *Commentario Timaei* et Tractatu nostro prorsus convenire. Verum quid facies historicis illis notionibus, quas supra descriptas dedi? Quid *Chalcidio*, siquidem Seculum IV. adtigit, cum *iniquo Domitiano*, qui, si de Imperatore res est, Seculo I. occubuit? Quae Civitas illa, in qua Somniantis Frater cogente optimo *Romanae Reip. Consule* munia gessit? In qua ora maritima *Paracle* et *Chereothea* Piratis vexatae? Quis conjurator *Apollonius*? Videant me doctiores. Aut hic paucula de Vita, rebusque *Chalcidii*, quae tempus edax nobis non invidit, continentur, aut nullibi; neque enim certi quidquam *Aug. Justiniani*, *Job. Meursii* et *J. Alb. Fabricii*, qui versum et expositum ab eo *Timaeum* edidere, solertia docere nos potuit.

DLXXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. U. 619 XV. ineuntis, Folior. 131. f. per-eleganter scriptus, et coloribus comtus sequentia continet: *Incipit tractatus de peccato originali editus a fratre Egidio Romano ordinis fratrum Heremitarum Sancti Augustini. Capitulum primum in quo est prologus. Init illud: Ego cum sim pulvis et cinis loquar ad Dominum meum &c.* Constat Capitibus VII. ut *Vol. I. col. 2249. et 2571.* quo te, si lubet, refer. II. *fol. 9. Incipit tractatus de laudibus diuine sapientie editus a fratre Egidio Romano ordinis fratrum heremitarum Sancti Augustini.*

boup

N 3

ni.